Fragmentarium

uobiſ de ipſiſ dicit. qui ſpem paſſioniſ xpi.
per quam peccata dimiſſa ſunt auferen
tes in legiſ cerimoniiſ collocabant. Poteſt
& de iouinianiſtiſ interpretari qui ieiunio
rum afflictioneſ & omneſ corporiſ cru
ciatuſ in luxuriam et epulaſ conuerterunt.
Nunc autem et flenſ dico inimicoſ cruciſ
xpi. Notandum quo affectu omnium
ſalutem optauerit. qui etiam inimicos
cruciſ xpi deflebat ultro in interitum
properanteſ. Quorum finiſ interituſ quorum
deuſ uenter eſt. & gloria in confuſione ip
ſorum qui terrena ſapiunt. Qui enim
in carne ſeminant inquit apoſtolus de car
ne & metent corruptionem. Qui enim
in hoc ſe putant deo ſeruire. ſi comedunt
& uoluptateſ uentriſ. & deſideria com
pleant carniſ. eorum deus dicitur uenter.

Cum manducaueritiſ lectio ſecunda
& biberitiſ in uobiſ metipſiſ man
ducabitiſ. & uobiſ metipſiſ bibetiſ. Gloria
dicit circumciſioniſ. in confuſione. id eſt
impudendi uerecundie membri. qui
terrena ſapiunt dicit id eſt qui carnaliter
legem obſeruant. Noſtra autem conuerſatio
in celiſ eſt. hoc non poteſt dicere terreniſ
uitiiſ mancipatus. Unde etiam ſaluatorem
expectamuſ dominum ihm xpm. Ac ſi diceret.
Caput noſtrum in celo eſt ubi & noſ iam per
deſiderium conuerſamur & quia celeſtiſ
eſt ille qui caput eſt noſtrum. de celo ex
pectamuſ eum uenturum. Qui reformauit
corpuſ humilitatiſ noſtre. configuratum
corpori claritatiſ ſue. Hoc quidem mon
ſtrauit in monte cum unum ex uiuen
tibuſ & unum ex mortuiſ ſui corporiſ
configurauit. exemplum reſurrectioniſ
oſtendenſ in mortuiſ & uiuiſ. Secundum
operationem qua poſſit etiam ſubicere
ſibi omnia. Ac ſi diceret. Non ſolum
confirmauit noſ exemplo reſurrectio
niſ. ſed etiam corporali ſuo omnia fecit
eſſe ſubiecta. & ſecundum hunc potentiam
qua ſibi cuncta ſubiecit intelligimuſ
eum omnia poſſe. & filium omnipotentiſ eſſe.

Itaque fratreſ mei kariſſimi. lectio tercia
et deſideratiſſimi gaudium meum
& corona mea. ſic ſtate in domino kariſſimi. Ac ſi
diceret. quia perfecti eſtiſ in fide. perfecti
ſtate in conuerſatione. In ſola xpi fide
ſpem ponenteſ. & in conuerſatione celeſ
ti conuerſanteſ. quia de uobiſ in pre
ſenti tempore letificor. & in futuro co
ronabor. Euchodiam rogo & ſintichen
deprecor id ipſum ſapere in domino.
Id eſt unum & id ipſum ſentire de fide.
et equaliter credere in domino. Etiam ro
go & te germane compar. Quod dixit
germane proprium poſuit nomen. Ger
manuſ enim uocabatur. Quod uero dixit
compar intelligitur officium uel fidei.
Adiuua illaſ qui mecum laborauerunt
in euangelio. He mulieres religioſe
et ſcienteſ erant. quaſ apoſtolus ut adiu
uetiſ germanum admonet. Quod dicit
mecum laborauerunt. ſubauditur
in uerbo fidei predicando. Docebant
enim in ſuo ſexu per domoſ. in eccleſiiſ

License: public_domain – Leuven, KU Leuven Bibliotheken Bijzondere Collecties, Ms. 1501, fol. [1]v – Office lectionary
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-ucq6/7359/59188)